

in expositione Symboli Apost. sect. 35. Postquam enim Catalogum scripturarum Canonicarum enumerasset, expresse excipit Apocryphos. Sciendum est, inquit, quod & alij libri sunt, qui non Canonici, sed Ecclesiastici à majoribus appellati sunt: ut est Sapientia Salomonis, & alia sapientia, quæ dicitur filij Syrach &c. Idem decernit concilium generale Laodicenum, quod circa annum Christi 364. celebratum est, ut Carranza in summâ Conciliorum censet. Hactenus ergò per integra quatuor secula ante Innocentium Primum Papam certus atq; indubitatus fidei Canon viguit in Ecclesia Christi. Errant ergò Papistæ, qui clamitant audacter satis eum ab Innocentio primum constitutum esse, sed & in Quinto seculo post Innocentium Papam Augustinus augustissimus ecclesiæ Pater omninò discernendos esse docet libros Biblicos, nec eos ejusdem autoritatis fecit lib. 2. de doctrina Christiana cap. 8. tenebit, inquit, lector hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat eis, quas quædam non accipiunt. In iis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresq; accipiunt iis, quas pauciores minorisq; autoritatis Ecclesiæ tenent. Item lib. 18. de Civ. Dei cap. 36. libros Maccabæorum refert inter Apocryphos seu Ecclesiasticos, & libr. 2. Epistolarum contra Gaudentium c. 23. Eos excludit à Canonicis libris, recepta est, inquit, Maccabæorum Scriptura non inutiliter, si sobriè legatur vel audiatur: Unde distinguit passim inter libros Biblicos, qui πρώτως & qui δευτέρω Canonici dicuntur. Porro Damascenus in Octavo seculo distinguit Apocryphos à Canonicis lib. 4. de Orthod. fide cap. 18. Et quid in medio Papatus Hugo Cardinalis idem inculcat in præfatione ad librum Josuæ, nec non ad librum 1. Reg. ubi Prologum Galeatum Hieronymi commendat atque interpretatur. Plura videantur apud Gerhardum lib. 2. Catholicæ Confessionis artic. 1. capite 1.

#### THESES X.

Autoritas Scripturæ sacræ per se constat satis. Cum enim tota θεοπνευστή sit, certe à Deo divinam suam autoritatem & majestatem unice obtinet, nec dependet ea ab Ecclesia.

Job. 5.